

**Ad Augendum Opificis Nostri Gloriam Promovendum Proximi Emolumentum  
Comparandum sui ipsius Notatiam & sic Sobrie Philosophandum! Anatomen in  
Nobilioris Sexus Subjecto publice se adornaturum esse indicat Et Ad  
Demonstrationes hodie & per subseqventes Dies instituendas Omnes qvotqvot  
Sacrī hisce favent & ornamento sunt Singulatim Magnificum Dominum  
Rectorem Excellentissimum & Amplissimum utriusqve Reipublicæ Senatum  
Omnes Omniumqvè Ordinum Cives Academicos docendi dilcendi gloria  
Fulgidissimos Florentissimos, ... invitat Georgiius Detharding. Georg. fil. & Nep.  
Med. D. & Anatomiae Professor Publicus Facultat. Medic. h. t. Decanus**

Rostochi[i]: Schwiegerau, [1701]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn791009203>

Druck    Freier  Zugang



Leges etc  
Academie Rostochiensis

~~Universitäts-Archiv~~

Rostock, Sign.

~~RIA 4~~

~~RIA 4~~

K. e. — 47. <sup>1-69</sup>

G. D. S. P.

Ad

AUGENDUM OPIFICIS NOSTRI GLORIAM

Promovendum Proximi Emolumentum

Comparandum sui ipsius Notitiam

& sic

SOBRIE PHILOSOPHANDUM!

# ANATOMEN

in  
NOBILIORIS SEXUS SUBJECTO

publice se adornaturum esse

indicat

ET AD

## DEMONSTRATIONES

hodie & per subseqventes Dies instituendas

Omnes qvotqvot Sacris hisce favent

& ornamento sunt

Singulatum

## MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM

Excellentissimum & Amplissimum utriusque

## REIPUBLICÆ SENATUM,

Omnes Omnimqvè Ordinum Cives Academicos

docendi discendi gloria Fulgidissimos

Florentissimos,

Summa Observantia & quā decet Humanitate suo SUÆQUE

FACULTATIS Nomine

UT DECENTER CONFLUANT

invitat



## GEORGIUS DETHARDING.

Georg. fil. & Nep.

Med.D. & Anatomiae Professor Publicus

FACULTAT. MEDIC. h. t.

DECANUS.



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliss. Senat.

Typogr.

6. Oct. 701



Vam scientiae & artes, prout corpora, continuam exercere coguntur Metamorphosin, (non sine instabilis vicissitudinis omnium rerum argumento) eandem & Ars secandi corpora humana Anatomia, qvæ vulgo audit, subire tenetur; ita enim ex Democriti puto emergens, si non denio, ubi vix lucem vidi cum suis Fautoribus eandem Abyssum repetit, cum obscura ignorantia & inevitabili obtrectatione semper habet certandum. Non unam hujus rei dixeris causam cum culpa nunc in tempora nunc in ipsis Artifices seu quos tales esse decet, redundet. Antiquissimis sane temporibus quando omnia qvæ in auxilium venire poterant sub nube latitabant densissima, Naturam se Mystis suis explicuisse nec cogitandum quidem est, & laudabiles satis Hippocratis, Democriti, aliorumve labores, qui in rimandis brutorum extis seduli impertiebantur inde excusationem quandam merentur, si non omne illorum studium atque opera omnis in Cadaveribus humanis evicerandis collocata fuerit. Admiratione alii afficiuntur, quod Philosophorum Principis Titulo  $\pi\gamma\chi\pi$  clarus, licet natura usuque callidus brutorum exta sagaciter peruestigaverit, inmanes pecuniae, cæteraque omnia adjumenta a Rege & Discipulo suo plus quam Regiâ munificentia suppeditata ipsi fuerint, non tamen animalium sapientissimum ac fabricæ suæ arteficio omnia alia superans inciderit humanique corporis, si partes internas & in ipso delitescentes species, non adeo insignem notitiam sibi comparaverit. Huic quippe tribuendum, quando nobilissimum & structura elegantissimum corpus ex abjectis diversique generis animalibus fuit doctum, & quod ob perfectionem maximam regula est imperfectionis, ex imperfectione applausum accepit. Fateor eqvidem Herophili ac Erasistrati ardore & nisu (primi etenim quantum constat fuerunt, qui religiosum nefas secare Cadaver humanum solverunt intrepida manu) stamina illa adolevisse, dum per sectionis artificium in hominem inquinendo Latrones morti addictos sive nocentes homines à Regibus ex carcere arreptos (modo vera sint Celsi de illis verba) Vivos inciderunt & ex Tertulliani relatione ille septingentos (volunt alii sexcentos) executis ut naturam scrutaretur; hic Aristotelis Neppos saevitiae suæ, ut tum temporis audiebat, plura in libris reliquit testimonia: Spes ingens erat studium hoc adeo salutare pluribus fore arrisurum, cum ex eo non pauca his Præsidibus in Artis Asclepiadeæ Scholas, sed & in utilitatem publicam manarent comoda. Ast! quod dolendum voluntaria quasi oblivione iterum contrita stamina sunt, & cum ipsis Authoribus denuo sepulta nec Galeni accessu restaurata. Tantum enim absit ab hoc antiquum honorem Anatomiæ redditum esse, licet ardorem, qui refederat, Marini Præceptoris vestigia excitare & innovare poterant, ut in Zootomia quamvis, & simiarum præsertim porcorum aliorumve animantium ruspatione laudem haud levem sibi comparaverit haud tamen ad exemplum Antecessorum sectioni Cadaverum humanorum manum comodaverit, cupidine doctis insultandi nimium paulo flagrans. Propter illud vero vel maxime in tantam vituperationem venit, quod passim in libris suis Medico futuro & qui circa humanum corpus aliquando versari cupit commendet, partium omnium sigillatim magnitudinem, figuram, numerum, situm accurato ut studio cognoscat, ne aliqua in parte errorem insignem admittat, vel turpiter se det, aut Ægro imprudens afferat exitium, notitiam vero illam neminem nisi ex dissolutione & dissektione consequevi posse optime moneat, ipse tamen cotis magis vicem sustinere quam secare voluerit. Scripta tamen sua per multa Secula norma fuerunt regula, & Cynosura rerum ut Medicarum sic maxime Anatomicarum & Medici Græciæ in Galenum suffulti nil præter hunc scire vel ultra illum sapere affectaverunt. Manibus cultellisve ergo summa data pax est summa tranquillitas, qvæ in dubium venire poterant solvebantur ex Galeno & pro ratione stabat Authoritas. Exitialis hæc fascinatio comitabatur Anatomiam, quando ad Arabes vadebat, nec unicum enim corpus humanum follicitate cultris, in animum suum induxerunt, sufficere judicantes & pro informatione necessaria scripta Galeni & pro dirimendis controversiis fidem Galeni, nisi quod in suppositis quandoque veniret Aristotelis, de quo antea, Axioma. Desine hinc mirari Lettor, unde tam manca manserit & rudis Anatomia apud Medicos Latino Barbaros, (his quippe ab illis tradebatur ea) maxime in Italia & Gallia degentes & horum de Anatomia conscriptos Libros paucos equidem ut certissima allegati defectus Testimonia, numero librorum tuorum adscribe; præprimis cum attestentur quam gloriosum

sum, quam honorificum, quam Heroicum temporibus illis fuerit judicatum, cum Galeno errare nec cum aliis recte sentientibus facere. Rebus ergo sicstantibus quis non pronunciaret actum fuisse de elegantissimo & firmissimo Medicinæ fulcro quod non modo ruinam minitabatur sed lapsui vicinum erat, nisi ex Germania Litteratorum & Heroum Eqvo Trojano tandem cordatus surrexisset Vir juvenis, arcane scientiæ naturalis irritamento agitatus, cui nullius authoritas horrorem injicere poterat nec iudicia deterrire rectius præjudicia valebant à rerum imperitis & ad servitutem nactis Præceptoribus tribui solita. Andream volo ex Ducatu Clivensi ejusque urbe sat celebri Vesalia oriundum, quem inde Vesalium more tunc temporis recepto hodienumve Italis familiari dixere. Hujus erat Symbolum, Non Lectione non Scriptura sed Selectionibus rimandam esse & quærendam humani corporis structuram. Huic ossa in Cœmeteriis multis horis versare jucundum, judicibus molestum esse ut hoc vel illo suppicio homines necare current sive, morbi mortisve reos ex intimis visceribus in apricum producere gaudium, & omnem in discessionem cadaverum operam impendere Oleumq; non minus utile quam voluptuosum fuit. Haut, immerito ergo palam dubiam fecit, an Spartæ sibi a Venetis oblatæ (primus enim omnium fuit in tota Europa, qui Anatomiæ Professionem sustinuit, & cui ætatis suæ 25. Anno in Patavina Academia fuit præfectus) non magis honoris ex Vesalio accesserit, quam honorificum illud munus Vesalium ornaverit. Hoc certissimum, hujus præsidio è profunda Voragine emersisse Anatomiam & caput erexisse cum ipse quæ oculi viderant Chartæ communicare consultum duceret, & discipuli ejus, qui Magistrum næctum erant ad illam rem improbum manuductione adeo vivæ obtemperando manus oculatas nudæ authoritati & speculationi anteferrent. Undiqvaque sic communis studio certatim hoc scientiæ genus fuit excultum, multum pecuniæ in cotibus & cultris redimendis impensum & cum tanto fervore hoc negotium ubique susceptum est ut per pauci Medicorum ea in parte minimi haberi velle visi fuerint, sed eorum plurimi in hanc quasi Palæstram vocati acerrime dimicaverint pro consequenda Laurea. Infinitum foret eos nominare & Germanorum, Belgarum, Gallorum, Italorum, Anglorum, Danorum, Svecorum, merita in rem Anatomicam dignis Encomiis exponere tantus illorum numerus, tanta illorum fama; Utrumque curiosiores ex delicatissimis ingeniorum suorum partibus qui perpetuam existimationis fidem quam commodissime in futura Secula seruant, addiscere poterunt. Non est ergo ut metuamus facile abitum esse elegantissimam hanc artem paraturum, quia non modo a tot viris exculta & dixerim ferme ad summum fastigium producta est, sed perennitati quoque typis & æri quam firmissime commendata; aliunde est, ut idem quod olim illam pressit metuamus fatum. Non ad illorum scommata animum intendo quibus encheires Anatomicorum crudelitas, sordities vocantur, discindere, effringere corpora pulcherrima, delectari intuitu manantium cruentum viscerum, & quæ abstrusa voluit non cœco natura decreto omnibus detegere, temere producere, & sine fronte nudare, negotium vulturibus potius, Leonibus, Ursis conveniens: Omitto ista quia ea in parte, si cum illis certandum esset, non tam mihi in arenam, quam sterquilinium descendendum, ubi contractas sordes Victoria non compenset; non alio utique nomine crudelitatis notam incurruunt prosectoris artis Amasii, quam statuario alicui aut scriniario illam inusseris, quando vel in lapides ille, vel ligna dolabellas suas, fascias & quæ sunt alia ipsi instrumenta immittit; Nec curo deliramenta istorum qui abstinentum esse exercitio illo in que pristinæ crudelitatis fructu acquiescendum volunt, in Cadavere nil praeter mortem quæri, vitalem præ locali Anatomia esse amplectendam, frustra in fluminibus ex fiscatis aquarum fluctus quæri; quippe intelligendo hi faciunt, ut nihil intelligent & vagum scientiæ Medicæ Pelagus se sine Magnete meare ac permeare posse nimis audacter confidunt. O! quam de his & omnibus Anatomico-Mastigibus Anatomia Neglecta per totam vitam vindictam sumit, quando ad lectum vocati de subjecto morbi nil plane sciunt, de idea morbi cespitant, & qui Aëgrorum restauratores esse debebant, fiunt vivorum occisores. Defectus est corporum humanorum Anatomiæ subjiciendorum, qui me angit, & de quo Germania habet quod conqueratur, suo quippe damno cæteris regionibus Europæ cedere cogitur, quæ in aliis disciplinis multis modis illas superat. Nescio quid teneros adeo Magnatum & illorum qui Academiis præsunt fascinaverit oculos, ut qui in aliis rebus necessariis Academiis subministrandis Argi, in hoc defectu detegendo &

& supplendo caliginem qvandam patiantur. Ipsi satis intelligunt quantum Reipublicæ intersit Medicos habere artis suæ gñaros nec de mediis ad finem hunc ducentibus serio cogitare & aliquid statuere in animum inducunt. Nolo Anatomiae necessariam Medico cognitionem multis verborum lenociniis demonstrare, nec huic vino vendibili hæderam appendere, ignorare viderer prætium temporis & illud laudare aggrederer, qvod omne laude majus nemo sobrius unqvm carpere ausus fuit. Non possum tamen qv in de eo admoneam Academiarum Nutritios, cogitent rogo, cum non omnibus, paucissimis tantum, peregrinas adire oras illicqve creberrimis interesse Philotomorum laboribus concessum sit, illi qvibus nervi rerum à fortuna cum natura propitia non sunt concessi, qvando fulcro tanto se carere debere intelligunt, susceptum jamdum in arte Medica laborem deplorare, Telam inceptam proprio cum damno abrumpere coguntur, & ex genuinis artis filiis nunc in Spurios medicastros fatiscunt, nunc defunctorie studia sua absolvendo inter cœcos lusci regnant. Annon hi ipsi (reliqua ex illis in rem publicam manantia incommoda sileo) officiis admoti, si qvando commoda sese offert occasio saniori huic Philosophiae promovendæ grata, tam laudabili huic instituto quantum poterunt omne impedimentum ponent ne inscitiam & imperitiam suam dum salutarem hanc generi humano operam in se suscipere debent ad instar soricis prodant? sic denuo abjetto cultro aliorum experientia vivitur, præconceptæ opinionis vis primas tenet, qva itur cœcorum in morem pergendum, paucis ars egregia hæc denuo vilescit, negligitur, & perit. Perseqvi hæcce chartæ præsentis ratio vetat, in qvo eo facilius obtempero, ut intimare non sine animi gaudio publicè qveam, discussam illam esse caliginem, cessare in nostra Alma fata illa Anatomiae funesta & sub novo & aucto Augusti Nostri FRIDERICI WILHELMII Serenissimi Patriæ Patris, Celsissimi nostri Principis, Nutricii nostri Magnificentissimi, & Domini Clementissimi Regimine novum lumen huic studio apparuisse & novam facem illi fuisse accensam. Semper qvidem & foveat terram & recreat Sol, sed cum evectus in gradum altissimum est, solstitiique tenet metam tum Potentissimos radios spargit maturatque ac perficit omnia qvæ vel florebant antea in culmo vel in arista flavescebant per campos, vel in arboribus rubebant sive. Perinde hic PRINCEPS noster, cui ut salva ac integra Academiae jura, ut privilegia docentium publice sarta teatque manerent, ut ærarii instaurarentur ruinæ, qvæ possent, stipendiaque Nobis procederent rursus, nunquam non cordi fuit, in tantum levatus fastigium jam instar animæ per artus omnes infusæ sive afflitti totius nostræ Academiae molem agitat & qvæ molesta esse possunt provide arcet, qvæ in commodum vergere & salutem, Clementissime promovet: Maxime hinc & Ordo Medicus habet de qvo sibi gratulari & gaudere qveat. Illustre MONARCHÆ nostri & infallibile clementia suæ testimonium est, qvod captantibus nobis non ita pridem occasionem qvæ defectum hujus exercitii nobilissimi submissa animi reverentia ostenderemus & restaurationem ejusdem devotissime sollicitaremus, desideriis nostris annuit, & obsidis quasi loco Virum Violento fato extinctum & publico suppicio afflictum exercitiis nostris Anatomicis Benignissime concessit. Ad ea ergo Spectacula his diebus adornanda V.O.O.H ut freqventer confluitis non adeo mea invitatio, cui hæc Sparta concessa est, sed tanta Principis nostri Clementia vocat imo jubet; & prout DEum Fabricatorem nostrum Sapientissimum supplici voce rogo Conatibus nostris in studio hoc æque diffici ac laborioso adesse velit; Sic *Magnificum Dn. Rectorem utriusque Academicæ & Urbice Civitatis Senatum Amplissimum* Ceterosque in iis omnium ordinum Cives Eruditione ac dignitate sua conspicuos veluti Hospites Honoratissimos, Gratissimos, Officiosissimos, qvibus decet, verbis tum meo tum Amplissimæ Facultatis Medicæ nomine Spectatum invitatos esse cupio, Nobilissimos vero Cives nostros rogatos volo, ne recepto in Academiis & nostra more ad refundendos in otia hæc sacra impensos sumptus privatim apud me nomina sua profiteri, tesseramq; pro admissione quotidie ostendendam legitime comparare graventur, pro utroq; favore diligentiam meam, officia mea & qvæ a me expectare poterunt prontissime vobis spondeo & lego. Agite ergo & Spectatum accurrite.

DEMONSTRATIONES HABEBUNTUR HORA II da POMERIDIANA

in Auditorio, ut audit, Philosophico.

TESSERA ANATOMICA:

SOBRIE PHILOSOPHANDUM!

P.P. Sub Sigillo Facult. Medicæ, d. XI. Octobr. A. MDCCI.










IV. Qui cantitantes vel vociferantes per plateas vagantur, vel in diversoriis publicis, immo & in tricliniis priuatis aera concentibus implent, prima quidem vice noxam octo dieum carcere, & commensalis communis insuper unius mensis parentia, luent. Quod si post ~~bene correctionem~~ incorrigibiles se prodant, consilio abeundi, ~~at~~, necessitas emigrandi eis imponetur.

V. Eidem poenae obnicto cogunt, vel per ambages a veteranis parandum, quo aduentur, sed prauis quoque sodalitiates, qui sumtu nouitii epulati sibuntur, iis, qui mensa communab isto beneficio excludendis, inebriationes & ~~etiam~~ oriundacius impedianter, abhinc pl

VI. Poenae legum transacta Rectore & Concilio nec minno remittendae, sed ad tenore executioni mandandae eru

VII. Nocturnos strepibus incolarum vel personae & clamores inconditos vel prohibuerunt: ita earum violat securitatis nocturnae & trans custodiae militari tradentur Rector Academiae vel de



qui nouitios vel direlliciunt ad conuiuum modo pecunia emunguntur. Reliqui vero hospitierum carcere coercentur, per octo dies insuper menarum conuiuia, quo nubes & rixae tanto efficiuntur sunt.

bus iudicialiter decretae sec mutandae, nec omnianae, sine villa deprecatio-

s, tumultus & alia, quiuntur, facinora, immoti iam severae leges insubitoribus, quibus cura demandata est, deprehensi manebunt, vsque dum issione, vel in carcerem

academ-